



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Eodem Tit. In VI. Capitulum I. Dispendiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

fieri, sed secundum antiquas leges generales lites decidi, ergo multo magis jus speciale seu priuilegium (quippe quod strictiorem interpretationem meretur) ita accipi debet, vt causae litis pendentes non derogentur.

EODEM TIT. IN VI.
CAPITULUM I.
Dispendiis.

PARAPHRASIS.

Statuit Bonifacius VIII. Si contingat aliquem ex iis, qui super electionibus de se in discordia celebratis apud Sedem Apostolicam, vel alibi litigant, vitâ excedere, aut juri suo renuntiare, vel à jure electionis propter defectum excludi, vt interim, dum lis pendet super alterius electione, ad aliam electionem non procedatur; quòd si attentata fuerit, irrita erit. Hæc est noua constitutio vt colligitur ex verb. *Statuimus*. vbi id gl. monet; nam jure antiquo. *c. Ex parte. 10. De arbitris.* electio quæ facta est pendente lite valida iudicaretur; si contra prius electum sententia lata fuerit, at verò hæc jure nouo non potest valida censi, propter juris Regulam 29. ff. quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere. Exceptionem tamen patitur statutum huius Capituli, quam affert hîc *Lapus n. 3. Dominio. colum. 1. Franc. n. 1.* si in discordia electi litigent in fraudem, vt nouam electionem impediunt, cum manifestum sit, neutri eorum jus competere, quia enim notoria in iudicium deduci non debent. *c. Quoniam. 11. De filiis Presby.* idè ob eorum deductionem non debet lis pendere censi in ordine ad nouam electionem impediendam.

SUMMARIUM.

1. Per mortem electi ante confirmationem, non vacat de nouo Beneficium, sed prior vacatio durat vsq; ad confirmationem electi.
2. Vacat tamen de nouo Beneficium per mortem illius qui confirmationem aut collatio-

nem iam accepit, quamuis possessionem nondum habuerit.

3. Patronus lite pendente de habilitate presentati, alium presentare non potest.
4. Per hoc quòd vnus ex illis, qui de Beneficio litigant juri suo ac liti renuntiet, aut moriatur, non cessat officium Iudicis ad examinandum jus superstitis.

NOTA I. Si electus ante confirmationem moriatur, beneficium aut Prælatu-
ra non censetur de nouo vacare, sed prior vacatio durat vsque ad confirmationem electi. Ita sumitur ex *hoc. c. & tradit gl. in Clement. 1. h. 1. & explicat Francus hîc n. 1.* Ex quo colligunt cum *Zab. Clement. 1. cit. q. 6.* Si Prælati electus, qui in curia Romana litigat, ibi pendente lite de cedat, tamen si postea constiterit, electionem eius canonicam fuisse, tamen beneficium seu Prælatu-
ram non vacare in curia, ita vt ea prælatu-
ra ad Papæ collationem spectet, juxta ea, quæ dixi *l. 4. tract. 2. c. 11. versu 4.* Ceterum si postquam aliquis confirmationem aut collationem beneficii accepit, è viuus excedat, beneficium de nouo vacare censetur, tametsi possessio nondum habita fuerit, vt satis colligitur ex doctrina glossæ & Franci locis citatis, idq; inseruiet ad decisionem casus. Si Papa mense Januario canonicatum in Augustana Cathedrali v. g. vacantem contulit Titio, qui ante acceptam eius possessionem mortuus mense Febuario aut Aprilis, collatio pertinebit ad Episcopum diocesanum, vel capitulum, juxta cuiusque Ecclesiæ consuetudinem. videri etiam hîc debet *Clement. 1. h. 1.*

Quæritur hîc, quæ dicta sunt de Electo-
ribus, num etiam locum habeant in præsen-
tatore, si vnum præsentauit, de cuius habilitate controuersia mota est, vtrum pendente lite alium præsentare nequeat. Resp. Affirmatiuè, arg. c. seq. est enim eadem ratio, ne lite pendente aliqua mutatio fiat, accedit quòd electio & presentatio secundum iura in plerisque æquiparata sint. Excipit verò *Io. Andreas hîc n. 1.* quòd Laicus Patronus lite pendente intra quadrimestre alterum præsentare possit, juxta *c. Cum autem. 24. de jure*

jure patronatus, & dixi de hoc, cit. tr. 2. c. 13. n. 6. sed contraria sententia est communior Lapid. h. n. 2. Dominie. colum. 2. Franci. n. 3. vbi aiunt licet jure ordinario concessum sit Laico, postquam vnum presentavit, alium presentare, excipiendum tamen esse, nisi lis erga priorem mota pendeat. arg. huius text. & c. ult. extra cod. tit.

² Nota II. Si duobus coram iudice contententibus de beneficio, vnus eorum iuri ac liti renuntiet vel moriatur, interdum iudex nihilominus procedere debeat ex officio, vt appareat, num superstite jus competat, nec ne, idque propter publicum Ecclesie bonum. Sed & ob alias causas quandoque interest sententiam ferri v. g. vt appareat num electores male eligendo ea vice priuati sint, vel vt appareat, num victor litis expensas lucrari debeat, vt Francus hic notat n. 4. Dominie. colum. 2.

CAPITULUM II.

Si ij.

PARAPHRASIS.

Titius intentauit litem Caio possessori beneficii, lite pendente moritur vel renuntiat iuri, hoc casu donec lis finita sit cum superstite, non debet beneficium alteri conferri, nec alius ad illud eligi vel presentari, alioqui collatio, electio vel presentatio irrita sit, verumtamen si alicuius inter sit litem captam ad finem deduci (v. g. Capitulum, Presentator, aut cui debetur beneficium primo vacaturum) is admitti debet in eo statu, quo erat tempore cessionis vel mortis.

Differt decisio huius Capituli à priori, quia hic agitur de beneficio obtento, ibi autem de beneficio obtinendo ab electis

vel presentatis, vtriusque autem constitutionis eadem est ratio, ne lite pendente aliquid immutetur, per quod durior litigantis conditio fiat, si videlicet vno eius aduersario mortuo, aut cedente, alius ipsi substituatur, cuius alioqui non inter est.

S Y M M A R I V M.

1. Litem non finita non potest Beneficium litigiosum alteri conferri, siue lis pendeat cum superstite Actore sine cum superstite possessore.
2. Qui admittitur pro suo interesse ad litem per alium captam, in eo statu causam prosequi debet, quo per priorem deserta fuit.

Nota I. Beneficium litigiosum alteri conferri non debet, & habet hoc locum non tantum si lis adhuc pendeat cum superstite actore seu petitore beneficii, sed etiam si lis pendeat seu nondum finita sit cum possessore superstite, vt hic notat Anshar. colum. 2. fieri enim potest, vt si Titius Caio possessori beneficii litem mouerit, Caius per actionem confessoriam petat, se quasi Dominum beneficii declarari, hoc casu si Titius morieretur, aut lite cedat, non potest beneficium alteri conferri lite non finita; alioqui verò si per mortem aut renuntiationem Titii lis omnis finita sit, hoc casu nihil impedit, quo minus alius quidam impetret beneficium, tanquam de iure vacans, licet non de facto, quia aliud est in possessione, v. g. sacerdos sine dispensatione habens duo curata seu aliter incompatibilia, vt constat ex c. Licet. 27. de prob. in 6.

Nota II. Qui actori cedenti, aut vitâ excedenti subrogatur, quia suâ interest, is debet causam cum Reo vel procuratore eius, in eo statu prosequi, quo erat tempore defertionis. Ita Franc. hic n. 4.

T I T V L V S X V I I .

DE SEQUESTRATIONE POSSESSIONUM ET FRUCTUUM.

Licet pendente lite nihil innouandum sit, tamen missio in bona fieri potest ob contumaciam litigantis, sicuti in præcedenti tit. diximus. Nunc autem dicendum an pen-